



**T**Heodo secundus, qui cognomēto Magnus dictus est, fuit Theodonis primi ducis Boiorum filius, qui primus contra Romanos in Vindelico regnantes bellum susceperat, atq; castra Romana proximè Otingam inuadere statuit. uerùm immatura morte preceptus, anno Christi quingentesimo undecimo, negotium hoc Theodoni filio expediendum reliquit. Habebat iunior Theodo fratrem Vtilonem, qui ob insignem uirtutē Marchio Antuerpiēsis factus, Theodorici regis Francorum sororem uxorem duxit. ab eo Vtilone Carolus Magnus suam profapiam habuit. Theodo uerò à Boijs in patris locum dux constituitur. Id cum Anastasius Imperator audiret, legatos suos ad Theodonē mittit, petens ut is cum Romanis foedus & amicitiam iniret. Verùm Theodo legatis respōdet, sibi nihil rei cum Romanis esse, uerùm aliud habere propositū. Erat enim uir fortissimus, qui Romanos in Germania diutius rebus præesse ferre nō poterat. Itaq; finiendi belli quod pater inceperat cupidus, Romanos de improviso inuadit. Romani undiq; circumuenti ad internecionem cæsi, atq; pauci ex Boijs desiderati sunt, anno Christi 520. locus ab insigni Romanorum clade Mordfeld appellatus est. Postea Theodo cū suis copijs procedit, & orā Oeni ad alpium angustias usq; subigit. Tum iterum cum Romanis prælium commissum proximè Rodmonasterium, eo loco, qui hodie ab incolis Streittanger uocatur. ubi denuò uictoria penes Germanos fuit.